ſeu compoſitio ſuper matrimonio non detur, ut diſſolvatur; poteſt tamen admitti ut contrahatur, vel jam contractum conſervetur, cum illis caſibus deficiat ratio ſupra allata: quare tam ſuper dote, quam aliis acceſſionibus matrimonii conventiones & pacta admittuntur; quia hæc non repugnant naturæ, ſeu fini matrimonii. Nec alia pars difficultatis, ubi dicebamus etiam poſt contractum legitime matrimonium ex mutua conventione diſſolvi poſſe, adverſatur: nam id procedit attento jure civili Romanorum, & aliarum gentium, apud quas repudium permiſſum erat, ut ſupra dixi: jure autem noſtro canonico hoc non procedit, niſi in caſu ſupra expenſo, *ex d. c. 8. c. ſponſam, d. extravaganti, Antiqua*; nam cum matrimonio rato, non conſummato, conjuges inter ſe conveniunt, ut unus profiteatur religionem, alter aliud contrahat connubium, tunc matrimonium diſſolvitur, non tam ex conjugum conventione, quam ex juris divini privilegio, & diſpoſitione; favore enim religionis introductum

22 Exponitur c. 2. de clandeſt. deſponſ. eſt, ut matrimonium adhuc ratum poſſit diſſolvi per ingreſſum religionis, ut late probat Baſilius Legionenſis *d. l. 9. de matrim. c. 5.*

Adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. 2. de clandeſt. deſponſat.* ubi proponitur, quod ſi aliquis matrimonium contraxerit, ita quod probari non poſſet, non ſunt compellendi aliquatenus in eo perſiſtere; ſed ipſi ex mutua voluntate voluerint manifeſtare, & in matrimonio perſiſtere, tale matrimonium ab Eccleſia recipiendum, & comprobandum eſt. Ex quo textu ita inſurgo: En textum ubi ex compromiſſione, & mutua voluntate conjugum matrimonium ſubſiſtit: igitur quia ſuper matrimonio tranſactio, ſeu compoſitio ſuſtinetur, Pro hujus textus ſolutione dicendum eſt, quod licet tranſactio ſuper matrimonio, ut illud diſſolvatur, a jure improbetur, ex ſupra traditis, & ut matrimonium, quod ob impedimentum juris nullum eſt, ſuſtineatur; tamen ut conſervetur quod abſque ullo impedimento contractum fuit, admittitur conſervandi matrimonii gratia. Unde cum in eo textu nova compoſitio, ſeu conjugum voluntas tenderet ad conſervationem matrimonii, ideo ſuſtinetur, & matrimonium defenditur ab Eccleſia, tamquam per illam voluntatem redintegratum; præcipue cum nullum impedimentum adeſſet, nec præjudicium alii matrimonio fieret; tunc enim confeſſioni conjugum non ſtaretur, ut docent Covarr. *de ſponſal. 1. part. c. 5. n. 4.* Petrus Gregorius *l. 1. partition. tit. c. 7.*

TITULUS XXXVII.

De poſtulando.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Lateranenſi.

CLerici in *b* Subdiaconatu, & ſupra, & in *c* minoribus quoque ordinibus, ſi *d* ſtipendiis eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram judice ſæculari advocati in negotiis fieri non præſumant, niſi propriam, vel Eccleſiæ ſuæ cauſam fuerint proſequuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt: ſed *e* nec procurationes villarum ad juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus, vel ſæcularibus viris, ut Juſtitiarii eorum fiant, clericorum quiſquam aſſumere præſumat. Si quis adverſus hoc venire tentaverit, quoniam contra doctrinam Apoſtoli eſt dicentis: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, & ſæculariter agit; ab Eccleſiaſtico fit miniſterio alienus pro eo quod officio clericali neglecto, fluctibus ſæculi placeat ſe immergi. Diſtrictius autem decrevimus puniendum, ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum audeat attentare.

NOTÆ.

2 a LAteran.) Generali videlicet celebrato ſub Alexandro III. anno 1179. de quo *in c. quia 5. de elect.* aliqua adduxi; inter alia ipſius Concilii decreta reperitur præſens textus *part. 1. c. 12.* non autem ut jacet in hac ſexta collectione; deeſt enim alia pars ipſius capitis 12. quæ prohibitionis ampliationem, & tranſgredientium pœnas complectitur; ea autem refertur a Raymundo *in capitul. ſed ne 4. ne clerici, vel monachi*; quæ ſi annectatur preſenti textui, ut facimus, integer redditur Concilii canon.

b *In Subdiaconatu.*) Qui gradus ſacer erat a temporibus Urbani II. & noſtri Alexandri, ut probavi *in c. a multis de ætate, & qualit.* 1

c *Minoribus.*) Lectoris videlicet, Acolyti, & Exorciſtæ, & Oſtiarii.

d *Stipendiis.*) Ideſt redditibus Eccleſiæ, ſeu beneficii, ut *in c. clericos autem, 1. q. 2.*

e *Sed nec.*) Verba, quæ ſequuntur extant *in c. ſed nec 4. ne clerici, vel monachi.*

CAPUT II.

Innocentius III. a *Compoſtell. Archiepiſc.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod quidam canonici *b* regulares, ut ſe forte in jure peritos valeant demonſtrare, ac extra clauſtrum materiam habeant evagandi, non ſolum in eccleſiaſticis, verum etiam in forenſibus cauſis præſumunt advocati officium exercere; cumque objiciatur eiſdem, quod juxta canonicas ſanctiones non debent eſſe forenſis, vel eccleſiaſtici negotii ſuſceptores, vel executores etiam, niſi forte id monaſterii expoſcat utilitas, Abbate nihilominus imperante, ipſi proponunt ad inſolentiam excuſandam, quod *c* capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de monachis, non de canonicis regularibus loquitur manifeſte: Unde nos conſulere voluiſti, utrum tales ſint ad patrocinium admittendi. Ad quod diſc. t. t. reſpondemus, quod idem judicium de canonicis regularibus, quod de monachis, quantum ad *d* ſupradicta, credimus obſervandum, licet de monachis in canone ſpecialiter ſit expreſſum.

NOTÆ.

1 a COmpoſtell.) Ita etiam legitur in tertia collectione *ſub tit. ne clerici, vel mon. c. 3.* Eccleſiam Compoſtellanam primo in honorem adinventi corporis D. Jacobi Hiſpaniarum patroni, aſſenſu R. P. glorioſus Caſtellæ Rex Alphonſus erexit, Irienſemque Epiſcopalem Cathedram in eam tranſtulit: poſtea Calixti II. temporibus a Bracharenſis Archiepiſcopi juriſdictione exempta, Emeritenſis Archiepiſcopalis Sedis juribus condecorata fuit, ut conſtat ex veteri hiſtoria Hiſpana, quæ reperitur *t. 1. Hiſpan. Illuſtratæ, pag. 13.* & referunt Mariana *l. 10. hiſtoriæ Hiſpan. c. 12.* Cironius *in notis ad c. 13. de vita & honeſt. cleric. in 5. compil.* unde audiendus non eſt Theodorus Caſtaldus *l. 2. var. lucub. c. 9.* exiſtimans Innocentii III. temporibus Compoſtellanam Eccleſiam non fuiſſe Archiepiſcopali Sede decoratam; contrarium enim evincitur ex proxime traditis, & *ex c. ex parte, de cenſibus, c. & ſi neceſſe 5. de donat. inter, c. ex tuarum, de auctorit. & uſu pall.* ubi alia de hac Eccleſia notavi. In præſenti reſcribit Innocentius D. Petro Suarez, qui prius fuerat Epiſcopus Salmantinus, de quo *in d. c. ex tuarum.*

2 b *Canonici Regulares.*) Quorum in diœceſi Compoſtellana aliquæ ſunt Eccleſiæ, ut Eccleſiæ S. Joannis de Cabero, Prioratus Suarenſis, Eccleſia regularis de Juncaria, de quibus agit Pennotus *l. 2. hiſtor. Canonic. regul. c. 31. n. 3.* imo & ipſa Compoſtellana canonicorum regularium normam, & vitam ſervavit uſque ad tempora Innocentii IV. ſi fides adhibenda eſt Joanni de Nigravalle, relato a Pennoto *ubi ſupra.*

c *Capitulum illud.*) Concilii Tarraconenſis, relatum a Gratiano *in c. monachi 35. 16. q. 1.*

d *Supradicta.*) Licet enim lata quadam ſignificatione, & acceptione monachorum veniant, & comprehendantur canonici regulares, *cap. præſens 20. quæſt. 3. cap. poſt tranſlationem, de renuntiatione*; & ita accipiantur tam a veteribus, quam recentioribus Eccleſiæ Patribus, ut D. Auguſtino *lib. 3. contra epiſtolas Petiliani, cap. 40.* Beda *in hiſtoria Angliæ, lib. 4. cap. 4.* & aliis congeſtis a Bellarmino *tom. 1. controverſ. lib. 2. de monachis, cap. 5.* Pennoto *tom. 1. hiſtor. canonic. regul. lib. 1. cappitul. 39. numer. 4.* tamen ſtricta acceptione monachorum canonici regulares non comprehenduntur, ut quando peculiaria cujuſque Ordinis officia, vel inſtituta conſiderantur, *cap. monachus, cap. legi, cap. alia 16. quæſt. 1.* unde licet prædicatio verbi Dei, & collatio Sacramentorum monachis prohibeantur, *c. placuit; cap. pervenit, cap. interdicimus, cap. juxta, 16. quæſt. 1.* ea canonicis regularibus 3

ribus non prohibentur, imo permittuntur, *c. quod Dei timorem, de ſtatu monachorum*: & generaliter dum conſtitutio canonica continet diſpoſitionem pœnalem, ut *in Clement. ne in agro, §. quia vero, de ſtatu monach.* & in omnibus rebus odioſis, non comprehendi ſub appellatione monachorum canonicos regulares, docent Panorm. *in d. c. quod Dei timorem,* Pennotus *dict. l. 2. hiſt. canon. regul. c. 1.* unde neceſſaria fuit in præſenti caſu ampliatio, ſeu declaratio Innocentii III. ut ſub prohibitione Concilii Tarraconenſis, de quo *in dict. c. 9.* comprehenduntur canonici regulares.

CAPUT III.

a Gregorius IX.

CUm ſacerdotis ſit *b* officium nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe: non niſi pro ſeipſo, vel Eccleſia ſua, vel (ſi neceſſitas immineat) pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus ſibi licitum eſt poſtulare. *Et infra*: Clericus autem, qui contra Eccleſiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus, vel procurator eſſe præſumit, tamquam ingratus poteſt (maxime ſi clericus ſit ejuſdem Eccleſiæ) beneficio hujuſmodi ſpoliari.

NOTÆ.

1 a GRegorius.) Ad hujus textus inſcriptionem videnda ſunt quæ adduxi *in c. ult. de conſuetudin.*

b *Sit officium.*) ut ait D. Ambroſius *in c. denique, 14. q. 5.*

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur, & probatur. EX his deciſionibus ſequens deducitur aſſertio: *Clericis, ſive in ſacris, ſive in minoribus ordinibus conſtituti, etiam canonici regulares, poſtulare nequeunt, niſi certis in caſibus: & qui contra propriam Eccleſiam pro alio poſtulaverit, privatur beneficio, quod in ea obtinet.* Probant textus *in c. Epiſcopus 3. c. perlatum 4. 88. diſt. c. finali 5. q. 3. c. te quidem 29. 11. q. 1. c. denique 15. qu. 5. c. placuit 8. c. de præſentium 20. c. monachi 35. 16. q. 1. c. 1. ne clerici vel monachi*, Concilium Moguntinum ſub Carolo *can. 22.* Chalcedon. *can. 3. & 7.* Emeritenſe *can. 11. c. 1. de vita & honeſt. cleric. in 5. collect.* Innocentius I. *ep. 4. c. 3.* & *ep. 34. c. 2. & 4.* Vvillelmus Pariſienſis Epiſcopus *in ſuis conſtit.* quæ extant. *t. 26. Concilior. can. 1.* ibi: *Prohibetur ſacerdotibus, ne officium advocationis exercere præſumant, niſi forte in cauſa Eccleſiæ ſuæ, vel pro miſerabilibus perſonis, pupillis, & viduis, parochianis ſuis, quibus honeſte deeſſe non poſſunt; & hoc abſque pretii receptione extra expenſas moderatas.* Et *l. conſulta 23. C. de teſtam. novel. 6. Juſtin. c. 2. & 3. novel. 86. Leonis.* Conſonant de jure noſtro Regio lex 2. 3. & 4. *tit. 6. partit. 1.* lex 15. *tit. 16. l. 2. nove recopil.* lex 1. *tit. 3. l. 1. recopil.* Illuſtrant ultra laudatos a Barboſa in præſenti, & *l. 1. juris eccleſ. c. 40. 84.* Ant. Aug. *l. 4. tit. 73.* & *l. 8. tit. 39.* P. Gregorius *l. 3. part. tit. 18. c. 15.* & *l. 6. ſyntagm. c. 6.* Jacobus Omphalius *de uſurpat. legum, l. 4. c. 6.* Caccialupus *de officio advocati q. 1. & 3.* Polletus *l. 2. hiſt. fori Romani, c. 6.* Martha *de juriſdict. 4. part. centur. 2. c. 115.* Cironius *in præſenti tit.* & *in d. c. 1. de vita & honeſt. in 5. collect.* Eſpenceus *l. 2. digreſſion. c. 9.* Quintanadvennas *l. 1. eccleſiaſticon, c. 6. n. 15.* Gratianus *diſcept. c. 57. n. 22.* Boetius Epon. *in c. 1. ne clerici*, Buſæus *de ſtatib. homin. verbo Advocati*, Fragoſo *part. 1. de regim. l. 5. diſp. 13.* Portoles *in Molinum, §. Advocatus*, Borellus *in ſum. tit. 7. de cleric. n. 86.* Oſuald. *l. 18. comment. Donell. c. 3. duplici litt. M*, Joannes Nicolaus *de beneficiis c. 3.* Thomas Sanchez *l. 6. ſummæ, c. 13.* plures ex practicis, quos laudant Valaſco *de privil. pauper. t. 1. qu. 9.* Vela *2. tom. diſſ. 43. n. 29.* ex Moraliſtis congeſti a Thoma Sanchez *l. 6. ſummæ, capite 13.* Garcia *in ſumma, tr. 1. diffcult. 2. dub. 6.* Balſamon *in nomocan. Phocii, tit. 8.* & *in ſcholiis ad can. 16. Synodi Carthag.* atque *l. 2. juris Orientalis, duobus titulis*, Michael Rouſſelius *l. 4. hiſt. Pontif. juriſd. c. 5.* Garanna *in c. 1. ne clerici vel monachi*, Xamar, *p. 2. de offic. judic. q. 3.*

3 Impugnatur tradita aſſertio. Hæc tamen aſſertio ita illuſtrata difficilis valde redditur ſequentibus juris conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo, nam advocatorum officium, & munus honeſtum, ac nobiliſſimum eſt, *l. nemo, C. de dignit. l. 12.* Unde advocati dicuntur clariſſima eloquentiæ lumina, *l. reſtituendi, C. de advocatis diverſ. jud. c. quia Epiſcopus 5. q. 3.* quare apud Romanos, maxime honoratos, & nobiles cauſas peroraſſe teſtantur Valens & Valentin. *in l. quiſquis 6. C. de poſtuland.* quod de Julio Ceſare refert Svetonius *in ejus vita, c. 71.* de Craſſo, Scipione, Lelio, & aliis idem refert Cicero *l. 1. de Orat.* de aliis nobiliſſimis viris Plinius *l. 2. c. 4.* quantaque ſit advocatorum utilitas, imo & neceſſitas, docent Conſtantinus *in l. 4. C. de advoc. diverſ. judic.* ubi vocat laudabile, vitæque hominum neceſſarium advocationis officium. Plura advocatorum præconia proſequuntur Garcia *de nobilit. gloſſa 35. n. 41.* Guazinus *in defenſ. reorum, in præfat. n. 2.* Moreno de Burgas *de nobilit. diſcurſu 3.* Parexa *de inſtrument. edit. t. 2. tit. 10. reſ. 2. n. 58.* Amaya *in l. unica, C. de infamibus, l. 10. nu. 87.* Salcedo *in l. 34. tit. 16. l. 2. recopil. fol. 99.* Beyerlink *in theatr. vitæ humanæ, verbo Advocatus*, P. Gregorius *l. 49. ſyntagm. c. 6. n. 46.* Gaillus *l. 1. obſerv. c. 43. n. 4.* D. D. Alphonſus de Olea Gaillus *de ceſſion. jur. tit. 5. q. 11. in princ.* igitur ab hoc advocationis præclaro munere ſacerdotes, & monachi arceri non debent. Fulcitur primo hæc dubitandi ratio ex eo, nam ſi vera eſſet ratio a Gregorio IX. *in c. fin. hoc tit.* adducta, videlicet ſacerdotum officium eſſe omnibus prodeſſe, illis interdici non debebat cauſas etiam coram judice ſæculari defendere, cum per ſimile patrocinium oppreſſis ſubveniatur, *l. nec quidquam 9. §. advocatus, ff. de officio Proconſ. 1. § ait Prætor, ff. de poſtul. leg. magis 5. §. 11. ff. de rebus eorum*; & non minus humano generi conſulitur per hoc patrocinium, quam cum patria, parenteſque armis defenduntur, ut ajunt Leo & Anthemius *in l. advocati 14. C. de advoc. diverſ. jud.* ibi: *Advocati, qui dirimunt ambigua facta cauſarum, ſuæque defenſionis viribus, in rebus ſæpe publicis, ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam ſi præliis, ac vulneribus patriam, parenteſque ſalvarent: neque enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thorace nituntur, ſed etiam advocatos; militant namque patroni cauſarum, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt.* Ubi pro *facta cauſarum*, aliqui legunt *fata*, juxta illud Latini Pacati: *Nolo miſerorum, vel factum onerare, vel fatum.* Et Imperatores *in leg 3. C. de legibus*, dicunt *cauſarum fata componere*: & *in l. 42. C. Theod. de appel. lat.* legitur *diſceptationis fata.* Utramque Lectionem probat Cujacius *l. 15. obſerv. c. 9.* Pulchre advocationis officium deſcribit Caſſiodorus *l. 1. variar c. 12.* his verbis: *Quid enim advocationis officio ornatius, quod peregrinum negotium ad ſuas moleſtias trahit, ut laboribus ſubveniat alienis.* Illuſtrant Gutherus *de officiis domus Auguſtæ, l. 3. c. 2.* D. Mathias Guerra *in d. l. advocatis 14. n. 9.* Gibalinus *t. 2. de negot. l. 6. c. 3. art. 9. n. 11.* igitur ſi advocatorum officium, & pietate plenum eſt, & reipublicæ utile, imo magnopere neceſſarium, clericis, & monachis prohiberi non debet. Secundo augetur hæc dubitandi ratio exemplo Chriſti Domini noſtri, cujus quælibet actio debet eſſe vitæ noſtre inſtructio, *Clement. 1. de magiſtris.* Certum autem eſt, Chriſtum Dominum advocati officium in terris exercuiſſe, præcipue dum Mariam Magdalenam contra Phariſæum defenſavit, apud Lucam *c. 7.* & dum mulierem adulterii criminis accuſatam ſuo patrocinio liberavit, apud Joannem *c. 6.* imo advocationis officium proprium eſſe Domini noſtri, tradit D. Joannes *c. 2. ep. 1.* igitur clerici, & monachi non debent prohiberi hoc pietatis officium exercere. Secundo adverſus eam partem, in qua aſſerimus, canonicum, ſeu beneficiarium non poſſe Eccleſiam, ubi ſtipendia meretur, poſtulare, facit textus *in l. penult. ff. de poſtul.* ubi docetur, Decuriones, qui honores, ſtipendiaque propriæ civitatis merentur, poſſe contra ipſam poſtulare: igitur ſimiliter canonici poſſunt impune adverſus propriam Eccleſiam poſtulare.

Sed adhuc ſupradictam aſſertionem juri, & rationi conſonam eſſe defendendum eſt, pro cujus expoſitione aliqua prælibanda ſunt; & primo prænotandum eſt, poſtulare in genere idem eſſe, quod poſcere, ſeu petere. Marcellus *de varia ſermonum ſignificatione cap. 2.* inde poſtulationes fieri dicuntur Deo & hominibus, ideſt petitiones, ſeu ſupplicationes. De poſtulationibus a Diis faciendis agunt Celius Rhodiginus *l. 10. lection. c. 10.* Turnebus *l. 2. adverſar. c. 10.* Feſtus Pompejus *verb. Poſtulari fulgura.* Stricte tamen, & ſpecialiter poſtulare eſt apud alium de aliquo conqueri, quocumque modo id fiat. In qua acceptione Ulpian. *in l. 1. §. poſtulare, ff. de poſtulando*, inquit: *Poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure apud eum, qui juriſdictione præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere.* Quæ poſtulationis definitio refertur *in c. infames 3. q. 7.* poſtulare tandem idem eſt, ac deſiderare, *l. nonnumquam 32. ff. de adoption.* Hinc poſtulationes appellantur deſideria, *leg. nec quidquam 9. §. obſervare, ff. de officio Proconſul.* Debet autem poſtulatio fieri apud Magiſtratum, ideſt apud judicem pro tribunali ſedentem, quomodo Ulpianus ipſe prædictam poſtulationis definitionem expoſuit *in lib. 4. §. hoc autem 8. ff. de damno infecto*: docent Cujacius, Pacius, & Vveſembechius *ad tit. ff. de poſtul.* Vultejus *l. 2. de judiciis, c. 3.* Mancius *de advocat. tit. 1.* Donel. *ubi ſupra.* 4 Poſtulare quid.

Qui apud judicem pro tribunali ſedentem, pro amicis extraneiſve perſonis poſtulant, aut procuratores ſunt, aut advocati, inter quos varias aſſignant differentias Donel. *l. 18. comment. c. 3.* ubi Oſuald. *littera O*, Cardoſo *in praxi, verb. Procurator, n. 46.* Mancius *d. tit. 2. de advocat.* De procuratoribus ſequenti titulo agetur, & de eorum officio eccleſiaſticis perſonis prohibito, extat ſecunda pars hujus capitis primi, & reperitur *in c. ſed neque 4. ne clerici, vel monachi.* De advocatis vero agitur in preſenti, & *in d. tit. ff. de poſtulando.* Circa eos ſciendum eſt variis nominibus deſignari. Dicuntur cognitores, oratores, patroni, cauſidici, togati, & vulgo advocati, ut probant Gothofredus *in paratis l. ad titulum C. Theod. de poſtulando*, Gibalinus *ſupra.* Cognitores appellantur apud Paulum *l. 2. de ſentent. tit. 2.* & *in l. penult. & ult. C. Theod. de cognitor. & procurat. c. infamis 3. q. 7.* Polletus *l. 2. hiſt. fori, cap. 2.* Duarenus *in leg. 1. ff. de poſtul.* Donellus *d. l. 18. c. 3.* ubi 5 De advocatis.

ubi Oſualdus *litt. D.* appellantur oratores, quia cauſas perorant, *l. ſi quis 9. in fin. Cod. de advocat. diverſorum judicum*, Polletus *l. 2. hiſtor. fori, c. 6.* notat Oſualdus *ubi ſupra, litt. B.* Patroni dicuntur a patrocinio, quod clientulis præſtant, *l. properandum, §. proculdubio, l. rem non novam, §. 1. C. de judiciis, l. 1. C. de repudianda bonorum poſſeſſ. l. 1. l. quidquid 5. l. advocati 14. C. de advocat. diverſ. judicum*, Polletus *d. l. 2. c. 10.* Cauſidici etiam dicuntur *in l. quiſquis, C. de poſtul. l. 2. & finali, C. de advocatis diverſ. jud. l. 1. ff. de orig. juris*; quia cauſas dicunt, & perorant, *l. nemini, l. petitionem, C. de advoc. diverſ. jud.* ex Quintiliano, Juvenali, & Martiali probat Donellus *l. 18. comment. c. 30.* hinc advocatio ipſa cauſidicina dicitur *in leg. ult. Cod. Theod. de cohort. princip. cornic. l. 169. C. Theod. de decur.* apud Ammianum Marcellinum *l. 30.* ut etiam juridicinam dixit Tertull. *de pallio*: notavit Juretus *ad Symmachum, l. 5. ep. 41. & 73. & l. 8. ep. 29.* Togati dicuntur *in l. ne quis 3. leg. cum advocati 8. l. ſi quis de togatis 9. C. de advocat.* quia toga amicti in cauſarum oratione incedebant. Plinius *l. 1. ep. ad Minut.* ibi: *Officio togæ virilis interfui; ille me in advocationem, ille me in conſilium rogavit.* Polletus *d. l. 2. c. 10.* Tandem vulgo advocati dicuntur *in l. 1. §. advocati, ff. de variis, & extraordin. cognit. integris titulis C. de advocat. c. 1. & 2. hoc tit.* ex eo, quia in conſilium advocantur, ut Aſconius Pedianus Ciceronis interpres notavit ad ipſum *de divinat.* Exinde illi dicuntur advocationem ſuſcipere, *l. nec quidquam 9. §. penult. ff. de offic. Proconſ.* advocationem præbere, *in l. fin. C. de advocat. diverſor. judicum*. Plura Gibalinus *t. 2. de negotiatione, l. 6. c. 3. art. 9.*

6 Qui poſtulare poſſint. Poſtulare, & advocati munus obire poſſunt (poſtquam per alios cauſæ in judicio tractari valent, *principio Inſtit. de his, per quos agere poſſumus*,) omnes qui nominatim non reperiuntur prohibiti, quia edictum hoc *de poſtul.* prohibitorium eſt, ſicut edictum de procuratoribus, *l. munus 43. §. 1. ff. de procurat.* Prohibetur autem poſtulare quidam lege civili, quidam conſtitutione canonica, alii autem ſententia judicis. Lege civili, & edicto Prætoris (nam poſtquam edicta Prætorum confirmata ſunt, ſub lege referuntur) primo prohibentur hæretici, *l. fin. C. hoc tit. l. 15. C. de Epiſcop. audient. novell. 144. c. 2.* Secundo minores decem & ſeptem annis, *l. 1. §. initium, ff. de poſtul.* quia adhuc infirmum judicium in his, qui ad plenam pubertatem nondum pervenerunt, deprehenditur, *l. 2. tit. 3. part. 6.* Non petiit majorem ætatem Prætor quia ea ætate Nerva filius publice de jure reſpondiſſe fertur. Et Plinius *l. 5. ep. 14.* ait ſe anno 19. cœpiſse in foro dicere: docuerunt Polletus *l. 2. hiſt. fori, c. 7.* Petrus Gregorius *l. 49. ſyntagm. c. 6. n. 21.* Donellus *d. l. 18. c. 3.* ubi Oſuald. *litt. H.* Panciroll. *l. 1. variar. c. 18.* Narbona *de ætate, anno 17. q. 2.* Tertio propter ſexum poſtulare prohibentur feminæ, *l. 1. §. ſexum 4. ff. de poſtul.* nec etiam pro liberis, *l. liberto 31. §. quamquam 6. ff. de negot. geſt.* hoc enim officium virile eſt, & ſic feminis non convenit, *l. feminæ, ff. de R. J. l. alienum 18. C. de procurat.* & mulieres a viris defendi æquum eſt, non e contra. Donel. *ubi ſupra*, Corraſius *l. 4. miſcell. c. 21.* Ob caſum poſtulare prohibentur cæci, *d. l. 1. §. 4. verſ. Caſum*: plura Pancirola *l. 2. variar. c. 19.* Surdus *d. l. 1. §. 3.* & aliqua inſigni turpitudine deformati, ut muliebria paſſi, judicio publico damnati, & qui operas locarunt ut cum beſtiis pugnarent, *d. l. 1. §. 2. & §. removent*, Donel. *d. c. 3.* Amaya *in l. unic. C. de venat. ferarum*: niſi pro pupillis, aut minoribus, ut eorum tutores, aut curatores poſtulent; quia tunc officii neceſſitas eos a pœna excuſat, *d. §. removet, verſ. Sed ex æquiſſimo, l. puto 6. ff. de poſtulando*. Etiam lege civili prohibentur pro aliis poſtulare, qui judices, arbitrive in cauſa ſunt, *l. quiſquis 6. C. de poſtul.* Decuriones contra patriam, *l. penult. 7. 1. ff. de poſtul. l. 2. C. de advocat. diverſ.* Vaſsalus contra Dominum, *l. 1. §. item*, ubi Gloſsa *verb. Prædis, quæ ſunt cauſæ beneficii amittendi in uſibus feudorum*. Etiam Tabelliones lege Regia noſtra prohibentur poſtulare, *leg. 30. tit. 16. l. 2. recopil.* Etiam prohibentur poſtulare pater, filius, fraterve in ea cauſa, quæ agitatur coram eo, *l. 7. tit. 25. l. 4. recopil.* ſupra enim relati, nec partibus conſentientibus poſtulare poſsant; *leg. quos 7. ff. de poſtulando, l. moris 9. ff. de poſtulando*; Paul. *l. 1. ſentent. tit. 7. §. 1.* Cum ergo hæc poſtulandi prohibitio publicam auctoritatem reſpiciat, ut ſic Magiſtratuum dignitas conſervetur, *l. 1. §. 1. & 4. ff. hoc tit. de poſtul.* non poteſt litigatorum conventione mutari, *leg. jus publicum 39. ff. de pactis*.

7 De Clericis, & Monachis. Conſtitutionibus eccleſiaſticis poſtulare prohibentur judices ordinarii in ſuis territoriis, *c. unic. de offic. advocator. in 2. collect.* ibi: *Ut in civitate veſtra diminui poſſit, & attenuari materia jurgiorum, & judiciorum integritas reſervetur ad commune commodum ipſius civitatis, id duximus ſtatuendum. Sancimus igitur, & præſenti pagina prohibemus, ne quis veſtrum advocatus eſſe præſumat, niſi in propria cauſa, vel fortaſſe ſi alicui Eccleſiæ, vel pro alicujus magnificentiæ debito ad impendendum patrocinium fuerit obligatus.* Secundo monachi, ex decreto Xiphilini, quod extat apud Edmundum Bonfidium *l. 2. jur. Oriental.* ibi: *Cum multos eccleſiaſticos, & monachos* (inquit Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus) *videremus alienas cauſas ſubeuntes, & pro his decertantes, qui civilibus & eccleſiaſticis judiciis litigant, ab eccleſiaſtica conſuetudine, & legum gravitate, quod ſiebat, alienum judicantes ſtatuimus, ut nemo deinceps, nec monachus, neo ullus eccleſiaſticus alienas cauſas ſuſcipiens in judicio defendat: id enim aperta mercenaria opera, & nemo tale quid agens noſtræ moderationis ſupplicium effugiet, præterquam ſi forte cum ſit cauſa eccleſiaſtica, a nobis jubeatur alterius litigantium partis defenſionem ſuſcipere; tunc enim præterquam quod non erit reprehenſionis ſpes, in pœnam quoque non cadet. Præſens autem ſubnotatio in omnibus quæque civilibus judiciis legi juſſa eſt, ut cum noſtri decreti ſcientiam habuerint, eos omnino non admittant ad illorum cauſas agendas.* Cujus meminerunt etiam P. Greg. *ſyntag. juris univerſi l. 49. c. 6. n. 24.* Joann. Paul. Lancellot. *Inſt. canon. l. 3. tit. de procurator. §. poſtulandi*, M. Anton. Chuch. *Inſtit. canonicorum l. 3. tit. 10. n. 24. cum pluribus ſequentibus*, & ex conſtitutione Concilii Tarracon. relata *in c. monachi 35. 16. q. 1.* in cujus textus ſerie, ut in Concilio extat, poſt prohibitionem, ne monachi forenſis negotii ſuggeſtores, aut executores exiſtant, niſi monaſterii adſtante utilitate, & juſſu Abbatis intercedente, ea verba leguntur: *Canonum ante omnia Gallicanor unde his conſtitutione ſervata.* Quæ innunt jam a canonibus Eccleſiæ Gallicanæ hanc prohibitionem principium habuiſſe: a quibus autem canonibus, non conſtat. Innocentius Cironius *in 5. compil. in c. 1. de vita, & honeſtate clericorum*, exiſtimat eſſe aliquos canones ex primævis Conciliis Gallicanis celebratis ante dictum Concilium Tarraconenſe, quæ nec reperta, neque adhuc excuſa eſſent. Loayſas *in notis marginalibus ad dictum canonem 11.* prædicta verba in pluribus codicibus non reperiri teſtatur. Illud autem certum exiſtimo, canonem Concilii Tarraconenſis ab Innocentio III. citatum in præſenti capite 2. eſſe prædictum canonem relatum *in d. c. monachi*. Conſtat ergo, ex eo canone, & ex noſtro capite 2. monachis prohiberi advocationis officium ſuſcipere, niſi utilitate Eccleſiæ ſuggerente, & ſimul Abbatis juſſu intercedente. Unde non ſicut in ſacerdote ſæculari ſufficit utilitas Eccleſiæ, ita in regulari: nec etiam ſicut licet ſacerdotibus ſæcularibus in quibuſcumque cauſis coram eccleſiaſtico judice litigare, ita licebit monacho. Hæc prohibitio Concilii Tarraconenſis, & Conciliorum Eccleſiæ Gallicanæ protracta, & extenſa fuit ad Canonicos Regulares regulariter degentes, in hoc capite 2.

8 Exceptione hujus prohibitionis. Deinde eccleſiaſticis legibus clericis, tam in majoribus, quam in minoribus ordinibus conſtitutis, in juribus ſupra citatis pro illuſtratione concluſionis prohibetur pro aliis poſtulare; ſed prius de initiatis ſacris ordinibus agamus: illi enim arcentur ab advocationis munere coram judice ſæculari obeundo, exceptis quibuſdam cauſis ſtatim enumerandis. Dixi autem coram judice ſæculari, quia coram eccleſiaſtico judice etiam ſuper ſæculari negotio poſtulare non prohibentur, ut communiter docent *in noſtro c. 1.* Abbas *n. 3.* Martha *d. caſ. 115. n. 12.* Velaſcus *d. q. 9. n. 3.* Barboſa *de jure eccleſiaſt. c. 11. n. 85.* caſus etiam, in quibus coram judice ſæculari clerici poſtulare poſſunt, recenſentur *in c. 1. & ult. hoc tit.* Primus eſt, quoties in cauſa propria, aut Eccleſiæ ſuæ, miſerabiliumque perſonarum patrocinium præſtant; ut docent pluribus relatis Majolus *de irregul. l. 2. c. 5. n. 15.* Salcedo *in praxi, c. 66. n. 2.* Barboſa *ubi ſupra, n. 86.* Velaſco *n. 6.* Fragoſo *de regim. c. 1. l. 5. diſp. 15. n. 243.* Garcia *in ſum. tr. 1. diffic. 2. dub. 6.* Secundus caſus eſt, cum patrocinantur pro conjunctis perſonis, vel ratione ſanguinis, vel ſpiritualis cognationis, vel pro Canonicis ſuis, ut tenent Barboſa *ubi ſupra, n. 87.* Garcia *ubi proxime*. Tertius caſus eſt, dum non coram judice ſæculari pro tribunali ſedente, ſed domi ſuę conficiendo juris allegationes, alicui ex partibus patrocinantur, ut reſolvit Thomas Sanchez *d. l. 6. ſum. c. 3. n. 32.* His caſibus alium non inſubtiliter adjungunt Barboſa ubi ſupra, *nu. 88.* & Fragoſo *ubi proxime*; dum clerici in uno negotio patrocinium præſtant, & eo negotio finito, in alio; quia clericis prohibitum eſt, non uni, ſed pluribus negotiis ſæcularibus ſe immiſcere. Illud etiam apud omnes liquet, & ex hoc capite 1. facile deducitur, clericos etiam in majoribus ordinibus conſtitutos, beneficia non habentes, poſſe etiam coram judice ſæculari poſtulare, ut ſic propriæ neceſſitati conſulant. Ita plures, quos laudant, & ſequuntur Valaſcus *ubi ſupra, n. 3.* Barboſa *ſupra, n. 90.* Circa clericos vero in minoribus ordinibus conſtitutos, licet primis Eccleſiæ temporibus nulla prohibitio in eis poſtulandi reperiatur; imo dum canone 6. & 83. Apoſtolorum, & in aliis Eccleſiæ ſanctionibus a Gratiano compilatis *in diſt. 88.* prohibetur clericis negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, ſpecialiter caveatur de Preſbyteris, & Diaconis; ad ceteros vero inferioribus gradibus initiatos non protrahebatur. tamen a temporibus Concilii Conſtantinopolitani idem de ſacerdotibus ac de clericis in minoribus conſtitutis ordinibus ſtatutum fuit. Canone enim 11. ejuſdem Synodi, poſtquam Preſbyteris, & Diaconis prohibetur, ne publica munera Magiſtratuum exerceant, & ne in judicio procurationes, aut poſtulationes ſuſcipiant; tandem ajunt PP. *Hoc ergo nos quoque de reliquis clericis decernimus, jubentes de cetero, clericos in inferioribus gradibus conſtitutos, canonibus antiquis Eccleſiæ poſtulationes, & procurationes forenſes interdicentibus ligari, & ad eoſdem prohibitiones extendi.* Acceſſit Alexandri III. deciſio in noſtro capite 1. relata in illis verbis: *In ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtententur.* Ex quibus verbis deducitur, prædictam prohibitionem poſtulandi coram judice ſæculari, procedere etiam in clericis conſtitutis in minoribus ordinibus, dummodo Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtententur; nam ſi beneficio careant, poſtulare poſſunt, ut late exponendo dicta verba, pluribus relatis reſolvit Vela *diſſ. 43. n. 29.*

9 Ratio decidendi. Hujus autem Pontificiæ prohibitionis, videlicet ne clerici in majoribus, aut minoribus ordinibus conſtituti poſſint poſtulare, & cauſas forenſes perorare; varias rationes adducunt Interpretes. Prima illa generalis eſt, ne videlicet clerici, & monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant, de qua *in c. 1. & toto tit. ne clerici vel monachi*. Unde textus *in noſtro c. 2.* in tertia collectione Decretalium compilatus eſt ſub

eſt ſub titulo *ne clerici vel monachi*. Eum illuſtrant Boetius Epon. *in d. 2. 1. ne cler. vel mon.* Vivianus *in noſtro cap. 1.* Martha *ubi ſupra*. Secunda ratio redditur a Gregorio IX. *in c. 3. hoc tit.* ibi: *Cum ſacerdotis officium ſit nulli nocere, omnibus autem prodeſſe.* Et cum in advocationis officio neceſſario pars, cui advocatus non patrocinatur, lædatur, *c. denique 14. q. 5.* ideo clerici, & monachi a tali officio arcentur. Aliæ etiam rationes deducuntur ex notitia, & modo exercendi ipſum officium advocationis; nam plerumque advocati non fovent juſtam cauſam. Unde olim Oratorum Princeps Demoſthenes notatus quod improbam cauſam foviſſet, reſpondit, probos, & innocentes litigatores advocatis non indigere; in quos advocatos graviter inſurgunt Gutier. *l. 1. pract. q. 26.* Menoch. *de arbitrar. caſu 494.* Parlador. *l. 1. rerum quotid. c. 2.* Menchaca *l. 1. uſufrequentium, c. 10.* Lancellot. *de offic. advocati, c. 4.* Gibalinus *d. art. 9.* Merito ergo clerici & monachi, qui non ſolum a malo, verum ab omni ſuſpicione mali abeſſe debent, poſtulare prohibentur. Accedit; nam etſi bonam cauſam foveant, juſtumque negotium tueantur, tamen plerumque fallaciis, & cautelis uti neceſſe habent. Unde Plinius *l. 2. ep.* ad nepotem, ait: *Nos qui in foro, variiſque litibus agimus, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus.* Symmachus ita inquit: *In forenſi pulvere rara cognatio facundioris, & boni pectoris.* Præcipue autem illis utuntur ad lites remorandas; quare litium moratores appellantur a Cicerone *in l. de divinatione*, juxta lectionem Cujacii *l. 4. obſ. c. ult.* Litium concinnatores vocantur a Conſulto *in l. 9. §. 2. ff. de officio Proconſulis*; quia lites cavillationibus, & reprobis modis ſatagunt producere: plura Corraſius *in d. l. 9. §. 2. & l. 1. miſcel. c. 4.* Et contra advocatos in hac parte peccantes acriter invehuntur Zaſius *in l. 2. §. poſt hoc 46. ff. de orig. juris*, Henrigius *de fidejuſſ. c. 19. n. 12.* Petrus Gregorius *l. 49. ſyntagm. c. 6. n. 30.* Gibalinus *ubi ſupra*. Accedit & alia non inferior ratio decentiæ, quæ in ſacerdotibus magnopere attendi debet; cum enim advocati ſtantes coram judice ſedente cauſam orare debeant, *l. quiſquis 6. §. ult. C. de poſtul.* ibi: *Cum ibi neceſſitatem elegerit, & contempſerit jus ſedendi*, quæ verba repetita ſunt in novella Emmanuelis Comneni *c. 2.* facit etiam auctoritas Plinii *l. 1. ep.* ibi: *In tribunatu abſtinuit a cauſis agendis, quod deforme arbitrabatur, cui loco omnes ſedere oportet, hunc omnibus ſedentibus ſtare*: plura Cujacius *ad novell. 71. Juſtin.* Polletus *hiſt. for. c. 5.* Joannes Montanus *de auctorit. Regni, & Parlamenti*. Si ergo Plinio minus honeſtum videbatur coram judice ſtare, ut advocationis officium exerceret, quanto magis ſacerdotibus minus honeſtum videtur coram ſæculari judice ſtare, aut ſaltem diſcooperto capite cauſas perorare; ipſo judice pro tribunali ſedente. Recte ergo ſacri canones ſtatuerunt clericos non debere advocationis officio uti, niſi in cauſis ſuæ Eccleſiæ, aut miſerabilium perſonarum, ubi pii operis cauſa reddit actum licitum alias illicitum, *c. monachi, c. de præſentium 16. q. 1.*

10 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat difficultas ſupra adducta; nam licet advocationis munus laudabile, & honeſtum ſit, juſteque ab Imperatoribus commendatum; tamen clericos non decet coram judice ſæculari illud exercere, ob rationes ſpecialitatis ſupra adductas. Non enim omnia, quæ licite, & laudabiliter a laicis exercentur, a clericis, & monachis obiri poſſunt, ut probatur *ex c. 1. ne clerici, vel monachi*: & ſic hoc advocationis officium, licet laicis honeſtum laudabileque ſit, eccleſiaſticas tamen perſonas non æque decet. Nec primum augmentum dubitandi rationis obſtat: nam etſi per patrocinium advocati uni ex litigatoribus conſulatur, & ſubveniatur; alter tamen læditur: & quoties non poteſt alteri ſubveniri, quin alter lædatur, commodius eſt neutrum juvare, quam alterum gravare, *c. denique, 14. q. 5.* & ſic cum in advocationis officio neceſſario pars, quæ ſuccubuit in lite, lædenda ſit, abſtinendum eſt a poſtulandi officio, ne dum ſacerdos advocatus alteram partem juvat, alteram lædat. Nec ſecundum argumentum refragatur, quia ex auctoritatibus, & exemplis in eo congeſtis, tantum convincitur, Chriſtum Dominum pro innocentia adverſus malitiam uno vel altero caſu reſponſum dediſſe, & oppreſſum liberaſſe; quod adverſus noſtram concluſionem non facit: neque enim jus noſtrum clericis interdixit oppreſſos tueri; ſed ne ſæculari in foro poſtulationis officium exerceant. Nec tandem ſecunda difficultas obſtat: verum enim eſt, canonicum, ſeu beneficiarium poſtulantem contra Eccleſiam, cujus ſtipendia conſequitur, privari beneficio, aut præbenda in pœnam ingratitudinis. Nec tunc obſtat textus *in d. l. penult.* nam certum eſt, Decuriones contra propriam patriam non poſſe poſtulare, *l. 2. C. de advocatis diverſ. judicior.* niſi pro conjunctis, aut miſerabilibus perſonis; quo caſu procedit textus *in dict. l. penult.* ut docet Gothofredus *in d. l. 2. littera Q.* Similiter ergo canonicus, aut beneficiarius non debet contra propriam Eccleſiam poſtulare, niſi pro conjunctis, aut miſeſerabilibus perſonis, ut docet Salcedo *in praxi, capite 63.*

11 Exponitur c. Clerici 6. de jurepatron. Sed adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. clerici 6. de jurepatr.* ubi Alexander III. decrevit, ut clerici non poſſint emere advocatias Eccleſiarum; & ſi de facto emerint, ipſi priventur, ita ut nullo modo advocati remaneant. Ex quo decreto deducitur, clericos nec ſuarum Eccleſiarum advocatiam exercere poſſe; & per conſequens non recte aſſerimus, in cauſis propriæ Eccleſiæ clericos, ut advocatos poſtulare poſſe. Cujus difficultatis ſolutio pendet ex vera cognitione illius verbi, *Advocatus*. Sciendum eſt enim, advocatum in eo textu, non tantum ſignificare cauſidicum, & poſtulantem in foro, verum & defenſorem, & patronum Eccleſiæ: quomodo advocatus accipitur *in c. cum autem 24. de jurepatr. c. venerabilem 34. verſ. Numquid, c. generali, de elect. c. Gonſaldus. 17. q. 4. c. in quibuſdam, de pœnis*. Iſti autem advocati, ſeu defenſores Eccleſiarum, aut cum ipſa fundatione Eccleſiæ jus Advocati, ideſt Patronatus conſequebantur, ut docet Cironius *ad tit. de jurepatronatus*, aut petebantur a Rege ut Eccleſiam defenderent, & in ejus negotiis advocati eſſent, *can. 98. Eccleſiæ Africanæ*, ibi: *Ut ab Imperatoribus poſtuletur advocatorum defenſio, ut ſint protectores, ſeu defenſores ad reſpondendum in colloquiis judicialibus.* Et *l. 7. capitularium, c. 308.* cavetur: *Ut pro Eccleſiarum cauſis, ac neceſſitatibus earum, atque ſervorum Dei, executores, vel advocati, ſeu defenſores, quoties neceſſitas inſurrexerit, a Principe poſtulentur.* De his advocatis, ideſt Eccleſiarum defenſoribus, & patronis plura tradunt Federicus Lindembrogius *in gloſſario legum antiquarum, verbo Advocatus*, Cironius *ad tit. de jurepatronatus*, Boſquetus *in notis ad Innocentium, l. 2. ep. 122.* Bignonius *in notis ad Marculfum, fol. 588.* Deſider. Heraldus *l. 2. de auctor. rei judic. c. 5.* & nos *in c. 23. de jurepatr.* Unde cum advocatio *in d. c. clerici*, accipiatur pro jurepatronatus, recte deciditur, clericos non poſſe advocatiam Eccleſiarum emere, ideſt, juſpatronatus, *c. de jure, de jurepatronatus*; non autem in eo textu negatur, ſacerdotes poſſe advocatiam licite obtentam exercere, maxime in negotiis ſuarum Eccleſiarum.

12 Exponitur c. unic. 15. q. 2. Secundo traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. unico 15. q. 2.* ubi PP. Concilii Tarraconenſis ſtatuunt, ne quis ſacerdotum, aut clericorum more ſæcularium judicum, & advocatorum (ut Gratianus & gloſſa interpretantur) pro impenſis patrocinii munera exigant, ſed tantum gratis oblata recipiant: in quo canone ſupponunt Patres, clericos, ſicut alios laicos, poſſe advocationis officio uti, & patrocinium in judicio aliis præſtare, contra hucuſque tradita. Augetur hæc difficultas ex eo, nam ſalarium juſte petit advocatus, *l. 1. §. proinde 5. de variis & extraordin. cognit. leg. ſi quis advocatorum leg. quiſquis 6. §. 4. C. de poſtul.* quod honorarium ſolet appellari, ut docent plura congerentes Franciſcus Polletus *l. 2. hiſt. fori, c. 11.* Tiraquellus *de nobilitat. l. 1. c. 29. n. 21.* Menochius *de arbitr. caſu 513.* Flores de Mena *l. 1. q. 8.* ergo ſi permittunt PP. ſacerdotibus & clericis facultatem poſtulandi in cauſis ſæcularibus forenſibus, concedere etiam debebant jus exigendi ſalarium, ut conſequuntur ceteri advocati. Primæ difficultati ſatisfaciendum eſt cum Turrecremata in eo textu, qui aſſerit, PP. ibi agere de clerico patrocinium præſtante coram judice eccleſiaſtico; quod cum illi permittatur, ut ſupra dixi, ideo PP. Concilii Tarracon. ſupponunt, ipſos ſacerdotes, ſeu clericos poſſe poſtulare coram judice, videlicet Eccleſiaſtico. Secundæ difficultati ut ſatisfaciat Gratianus poſt compilationem illius textus ſtatim adjecit ejus interpretationem, aſſerendo procedere in clerico regulari, ſeu monacho advocati officium exercente; non autem in clerico ſæculari, qui ſaltem ex generali conſuetudine poteſt ſalarium petere. Sed hac ſolutione omiſſa facilius crederem in eo canone non omnem exactionem ſalarii, ſeu ſtipendii propter laborem impenſum improbari, & damnari, ſed tantum eam, quam more ſæcularium advocatorum clerici faciebant; in hoc enim illo ævo, & anterioribus plerumque advocati peccarunt. Unde Seneca Tragic. in ludo de morte Caii, cauſidicos venale genus vocat: idem in Hercule Furente, *actu primo*, de eis ita ait:

Hic clamoſa & rabioſa fori
Jurgia vendens, improbas iras
Et verba locat.

Quintilianus *l. 12. inſtitutionum, c. 12.* eos ait clamare ad ſtomachum litigatoris, non ad animum judicis: quam injuſtam exactionem ſacri canones ſemper deteſtati ſunt, *c. non licet 71. qu. 3.* unde *in d. c. unico*, quamvis PP. permittant clericis poſtulare, patrociniumque præſtare in judicio; tamen illis prohibent exactionem ſalarii, munerumque more ſæcularium Advocatorum.

13 Intelligitur Synodus Conſtantinop. & c. 50. de appell. Eadem ſolutione, & animadverſione, videlicet clericos coram judice eccleſiaſtico poſſe advocati munus exercere, exponenda eſt auctoritas Synodi Conſtantinop. temporibus Emmanuelis Comneni celebrata, ubi in ſubnotatione Lucæ Patriarchæ Conſtantinop. de quodam Diacono legitur, quod cum advocationis munere ex canonum ſanctione interdictus eſſet pro tribunali, coram ipſo Patriarcha reſpondit, illos canones, atque leges, non in ſuæ ætatis, ſed in antiquis advocatis locum habere, qui collegio quodam adſidebant intra certum numerum, *l. non plures 4. C. de ſacroſ. Eccleſ. leg. nemini 11. lib. neque, cum advocati, Cod. de advocatis diverſ. jud.* de quibus Cujacius *l. 16. obſerv. c. 22.* Gibalinus *d. art. 9. n. 11.* Ceterum ſuo tempore ajebat Diaconus advocati officium ingenuum, & liberale eſſe, neque homine ſacro indignum; adjecitque non advocationem ipſam, ſed advocationis modum ſacris canonibus improbari: *Etenim*, ajebat, *non clericis modo, ſed & Epiſcopis, ſi amici patrocinium in judicio ſuſcipiant, venia tribuitur, nec unquam illi notabuntur, ſi in eccleſiaſticæ rei controverſia advocati venerint: hæc cum dixiſſet, applauſumque illi eſſet etiam a Patriarcha, patrocinari ut antea illi permiſſum eſt.* Quibus verbis non abſoluta poſtulandi facultas illi Diacono data fuit, ſed tantum in caſibus ibi enumeratis, dum Eccleſiæ, aut amici cauſam defendebat, aut ſaltem coram judice eccleſiaſtico; tunc enim clericis in judicio poſtulare permittitur. Eodem etiam modo accipiendus eſt textus in *capitul. 1. de officio judicis*, in illis verbis: *Tu frater Archiepiſcope eidem de Magiſtro Roderico clerico tuo ad exhibendum in cauſa ipſa patrocinium providiſti.* Ex quibus deducitur, clericum in cauſa forenſi poſtulare, & patrocinium præſtare poſſe; nec mirum, cum in ea ſpecie ageretur de cauſa inter clericos, & coram judice eccle-

eccleſiaſtico diſceptata; ut ex integra ipſius textus, quam ex quinta compilatione tranſcripſi, conſtat. Simili etiam modo exponendus eſt textus *in c. ex inſinuatione 50. de appellat.* in illis verbis: *Quidam clericus commenſalis ſuus, dicti Camerarii in eadem cauſa fuerat advocatus.*

14 Exponitur can. 11. Concilii Emerit. Adhuc ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in can. 11. Concilii Emerit.* in illis verbis: *Id ergo per omnia ſervandum inſtituimus, ut nulli Presbytero, vel Diacono ſine voluntate Epiſcopi ſui licentia ſit ſæculares peragere cauſas, aut injunctiones expedire publicas.* Ex quibus verbis expreſſe deducitur, tantum Presbyteris, & Diaconis prohiberi in judicio poſtulare: ergo non ſubdiaconis, & aliis inferioribus clericis, etiam coram judice ſæculari poſtulare prohibetur. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt ex ſupra traditis, videlicet ſupponendo, primis Eccleſiæ temporibus prohibitionem hanc tantum circa clericos in majoribus gradibus viguiſſe, non vero circa initiatos minoribus ordinibus, uſque dum ex Synodo Conſtantinopol. ſupra relata, & *ex c. 1. hoc tit.* protracta fuit hæc prohibitio ad clericos inferioris gradus; & cum tempore Concilii Emeritenſis uſque ad tempora Urbani II. gradus Subdiaconi non eſſet ſacer, ſed inter minores enumeraretur, *c. a multis, de ætate, & qual.* ideo PP. Concilii Emeritenſis, dum hanc prohibitionem firmarunt, tantum expreſſerunt Presbyterum, & Diaconum.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

CAPUT PRIMUM.

a Gregorius *Maximo Epiſcopo Salonitano.*

ALia quidem ſcripta ad fraternitatem tuam ante feceramus; ſed tempore quo *b* homines tuos, quos ad nos miſiſti, relaxare voluimus, ſcripſiſſe te quibuſdam noſtris comperimus, quod Veteranum Presbyterum, atque Optatum Defenſorem, tunc minime in cauſa tranſmiſeris; & ideo ea, quæ cum eis acta ſunt, non debere ſubſiſtere. Sed & Thomas Eccleſiæ tuæ *c* Defenſor ſibi verbo a te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præſentium portitoribus judicavimus eſſe credendum, ne de ipſis quoque poſt hæc ſimiliter diceres. Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere, & cautos eſſe debere præmonuit, ſi cauſam vultis dicere, inſtructam de cetero perſonam cum mandato *d* legaliter facto, tuis, ac Presbyterorum, ſeu *e* Diaconorum in teſtimonium ſubſcriptionibus roborato, geſtiſque ex more indito tranſmittere, ut quidquid cum ea actum fuerit, poſſit jure ſubſiſtere. Nam nos non ſolum tibi, ſed etiam omnibus, quod juſtum, legitimumque fuerit, parati ſumus Deo juvante per omnia cuſtodire: tantum ut tu, quod lege præcipitur, facere non omittas.

NOTÆ.

a GRegorius.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* & apud Anton. Auguſt. *in epit. juris, l. 29. tit. 25.* & reperitur textus hic in regiſtro epiſtolarum ipſius Gregorii, *l. 11. ep. 13.* ex quo textum hunc reſtituo. Salona Metropolis Illyrici Orientalis, hodie dicta *Saldon*, eſt in Dalmatia, cujus Epiſcopus Glycerius refertur ab Evagrio *l. 2. c. 16.*

b *Homines tuos.*) Non accipias homines in præſenti pro vaſſalis, ut *in cap. finali, de ſervis non ordin.* ſed pro procuratoribus ſuis.

c *Defenſor.*) De officio defenſoris Eccleſiæ late egi *in c. 1. de teſtam.*

d *Legaliter.*) Ideſt juxta legis præſcriptam formam, quam infra dabimus.

e *Diaconorum.*) Quorum officium erat adeſſe Epiſcopo, ut teſtes vitæ, morum, ac actionum ipſius: idem Gregorius *l. 4. ep. 88.* & in Synodo Rom. *c. 2.* ibi. *Quidam ex clericis, vel etiam ex monachis, electi miniſterio cubiculi Pontificalis obſequantur, ut is, qui in loco eſt regiminis, teſtes habeat tales, qui vitam ejus in ſecreta converſatione videant.* Et *c. jubemus 59. de conſecr. diſt. 1.* Concilium Gerundenſe *can. 6.* Tolet. 4. *can. 22.* Turon. 2. *can. 13.* Damaſus *in vita Lucii Papæ*, ibi: *Lucius præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi, in omni loco Epiſcopum non desererent propter teſtimonium eccleſiaſticum.* Evariſtus etiam conſtituit, ut Epiſcopo prædicante ſeptem Diaconi adeſſent propter teſtimonium veritatis doctrinæ, ut refert idem Damaſus *in ejus vita.* Notarunt Baronius *anno 112.* Ant. Aug. *in epitome juris, l. 4. tit. 43.* juxta quam eccleſiaſticam diſciplinam jubet in præſenti Gregorius, ut in mandato ab Epiſcopo procuratori dando, tam Diaconi, quam Presbyteri ſubſcribant, ut teſtes fidei, & vitæ ipſius, juxta Synodum Francicam *l. 5. c. 2.* ibi: *Epiſcopo presbyter teſtis aſſiſtat caſtitatis, & vitæ & fidei, & doctrinæ illius.*

COMMENTARIUM.

4 Concluſio traditur & probatur. EX hac Gregorii epiſtola ſequens communiter deducitur aſſertio: *Non admittitur procurator in judicio, niſi habeat mandatum legitime confectum.* Probant eam textus *in c. cum M,* ubi gloſſa *verbo Socii, de conſtitutionibus, c. nonnulli 27. §. ult. c. ex parte, de reſcriptis, c. cum dilectus 6. c. venerabilis, de dolo & contumacia, c. in noſtra 4. hoc tit. c. contigit 3. de tranſ. c. cum olim, de officio deleg. c. per tuas, de arbitris, c. ſignificavit 48. appell. c. licet, eodem tit. in 6. c. 2. c. conſtitutus 8. de in integr. reſtit. c. cum pridem 4.* ubi gloſſa *verbo Dicebat, de pactis, c. fin. de majorit. & obed. c. expoſuit 4. de dilat. c. cum olim 6. de except. c. cum dilectus 8.* juncta gloſſa *verbo Ratihabitione, de religioſis domibus, c. ſepitæ 14. de cenſibus, c. auditis 8. c. dilectus 11. c. conſtitutis 12. c. mandato, finali, hoc tit. c. 2. c. is qui 4. eodem tit. in 6. c. 1. c. procurator 38. de electione in 6. l. ſi quis inficiatur 13. ff. depoſiti, l. de pupillo 5. §. ſi procurator, ff. de novi operis nunt. l. ſi procurator, C. hoc tit. leg. ſi is qui heres 25. ff. de exceptione rei judic. leg. 3. C. Theod. de cognit. & procur. leg. qui ita 66. §. 1. ff. ad Trebell. l. licet, leg. ſi procurator, C. eod. leg. ſi procuratore, ff. de condict. cauſa data, leg. ſi falſus 6. C. de furtis, leg. 2. tit. 10. l. 1. fori, l. 2. tit. 3. l. 2. fori, leg. 16. ſtyli leg. 10. tit. 5. partita 3. leg. 55. tit. 1. l. 3. leg. 3 tit. 2. l. 4. recopil.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti*, quibus addendi ſunt Queſada *l. unico quæſtionum, q. 31.* Caldas *in l. ſi curatorem, verbo Liſis, n. 101. C. de in integrum reſtit.* Villadiego *in dictis legibus fori*, Paz *in dicta leg. 16. ſtyli*, Pichardus *in manuduct. ad praxim, part. 1. præcept. 1.* Donel. *l. 18. comment. c. 12.* Avendanno *l. 2. de metu, c. 17.* Seſſe *t. 2. deciſ. 188.* Arnoldus Vinius *l. 1. ſelect. q. 52.* Vega *in c. cauſam, n. 10. de judiciis*, Vultejus *conſil. 35. n. 3. volumine 4. & l. 2. de judiciis, c. 7. n. 384.* Cyriacus *t. 2. controv. 384. n. 11.* Carleval. *t. 2. de judiciis, diſp. 4. n. 27.* Pareza *de inſtrum. edit. tit. 5. reſol. 10.* Hunnius *in encycloped. 1. part. tit. 38.* Noguerol. *alleg. 10. n. 138. & alleg. 11. n. 10.* Angujanus *de legibus, c. 8. n. 51.* Cancerius *t. 2. variar. c. 14. n. 64.* Larrea *alleg. 87.* Olea *de ceſſione jurium, tit. 1. q. 1. n. 2. & tit. 5. q. 3.* Mancius *de procurat. n. 186.*

Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; nam ſi procurator non admitteretur in judicio abſque mandato ad agendum, nec etiam admitteretur ad defendendum, quia tam in uno, quam in alio caſu extranea perſona eſt: ſed ut defenſor ſine mandato admittitur, *l. ſervum 33. §. 2. ff. de procurat. l. 2. ff. de negotiis geſtis, l. unica C. de ſatiſdando*, Donellus *l. 17. comment. c. 12.* Vultejus *diſputationum juris c. 11.* igitur ſicut procurator tamquam defenſor ſine mandato admittitur, etiam ad agendum admitti debet. 5 Impugnatur tradita aſſertio. Augetur hæc difficultas ex eo, nam maritus abſque mandato in cauſa uxoris ſuæ admittitur, *l. maritus 21. C. hoc tit.* ut etiam admittuntur parentes, fratres, affines, colliberti, & ſocii, *l. ſed hæc 35. ff. hoc tit.* probat Oſualdus *ad Donel. d. c. 12. littera K, & L.* Igitur generaliter verum non eſt, procuratorem in judicio non admitti abſque mandato. Deinde in eam partem præſentis epiſtolæ, ubi aſſerit Gregorius, mandatum Epiſcopi, quo conſtituit procuratorem, debere ſigna habere, tam presbyterorum, quam Diaconorum, ita inſurgo: Litteris Epiſcopi ejus ſigillo munitis etiam ſine teſtibus, & aliis ſubſcriptionibus fides adhibetur, *c. poſt ceſſionem 6. de prob. c. cum ex eo, de elect.* Cironius *ad tit. de teſtibus*, Angujanus *l. 1. de legibus, c. 6. per totum*, Parexa *de inſtrum. edit. tit. 1. reſol. 3. §. 5. n. 39.* igitur mandatum Epiſcopi abſque ulla ſubſcriptione Presbyterorum, & Diaconorum ſufficiens erat ad conſtituendum procuratorem.

6 Procurator quis. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens Gregorii deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, eum qui negotia alterius gerenda ſuſcipit, vulgo appellari procuratorem, ſive negotia ſint forenſia, ſive extrajudicialia, *leg. 1. & per totum ff. hoc tit.* juris autem Interpretes procuratores appellant eos, qui negotia forenſia pertractant; eos vero, qui extrajudicialia negotia curant, mandatarios dicunt. Petrus Gregorius *l. 40. ſyntagm. c. 4. n. 1.* Vinius *l. 1. ſelect. c. 52.* Hunnius *in encyclop. tit. 38.* Acunna *in c. 3. diſt. 54.* Mancius *de procurat. n. 1.* vel procuratores ad lites, vel ad negotia appellant, ut etiam diſtinguuntur *in c. conſtitutis 11. hoc tit. c. 1. §. fin. c. qui ad agendum 4. c. qui generaliter 5. hoc tit. in 6. leg. 1. §. 1. l. ſervum 33. l. procurator 63. ff. eodem.* & inter utrumque procuratorem nonnullæ verſantur differentiæ. Prima, nam procurator ad negotia poteſt quandocumque alium ſubſtituere, *c. 1. §. finali, hoc tit. in 6.* Oſualdus *d. c. 12. Donel. litt. S*, niſi electa ſit induſtria perſonæ; procurator vero ad litem tantum poſt ejus conteſtationem, quia per illam dominus litis efficitur, *l. ſi procurator 9. ff. de dolo, l. ſi procuratorem, ff. mandati, l. ſi procuratoribus 22. C. hoc tit.* poſt alium deſignare, *c. 1. §. licet, l. quod quis 8. l. neque 11. C. hoc tit.* Secunda, quia ad negotia quilibet poſt 17. annum procurator conſtitui valet, quia id fit tantum periculo ejus, qui ipſum conſtituit, *leg. ſi collactaneus 13. ff. de manumiſſis vindicta*; ad lites vero non ante vigeſimum quintum annum, *dict. c. qui generaliter, §. finali, l. minor 51. ff. hoc tit. l. exigendi, C. hoc tit. l. fin. C. de his qui veniam ætatis, §. eadem, Inſtituta quibus ex cauſis manumittere:* Covarr. *in c. tum, n. 4. de teſtam.* Gutier. *de juram. cap. 11.* Ratio hujus principii ex eo provenit, quod poteſt reſtitui in integrum in præjudicium adverſarii, *d. l. minor*, & quia perſonam legitimam ſtandi in judicio pro ſe non habet, *l. 1. & 2. Cod. qui legitimam*; ideoque conſtituere cogitur procuratorem in propriis cauſis, *l. finali, C. de legitimis tutoribus*: quomodo ergo pro alio in judicio eſſe poterit, qui nec in ſuis jus ſtandi habet? In cauſis tamen beneficialibus, & ſpiritualibus admittitur, *c. ex parte, de reſtit. ſpol. c. continebatur, de deſponſ. impub. c. fin. de judiciis, l. 6.* Covar. *l. 1. var. c. 5.*

7 De utilitate procuratorum. Deinde ſciendum eſt, quod licet tempore primæ Juriſprudentiæ nemo per alium in judicio agere poſſet, niſi pro pupillo, libertate, aut tutela, *principio Inſtitut. de his, per quos agere*; idque ſumma cum ratione, quia cum nemo invitus cum alio contrahere cogi valeat, *leg. invitum, Cod. de contrahenda emptione*, Covar. *l. 3. var. c. 13.* ita neque cum eo, cum quo negotium non geſſit, judicium ſuſcipere cogendus eſt. Poſtea tamen lege Hoſtilia in ſpeciali caſu permiſſum fuit furti agere alieno nomine. Polletus *lib. 2. hiſt. fori, c. 1.* Demum conſuetudine procuratores indiſtincte in uſum venerunt, ut valde neceſſarii, *l. 1. §. uſus, ff. hoc tit.* ut ita qui rebus ſuis ſupereſſe non poteſt, morbo, aut ætate, aut quia moleſtiis, & tædio negotii terretur, per alium in judicio agere poſſet, ut probant Vultejus *lib. 1. de judiciis, c. 7. n. 48.* Olano *l. 3. Paralip. c. 9. n. 34.* Differunt autem valde ab his procuratoribus advocati, & negotiorum geſtores, ut eleganter docuit Aſconius Pedianus ad Ciceronem de divinatione, his verbis: *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt; aut advocatus, ſi aulicus præſentiam ſuam commodat amico; aut procurator, ſi negotium ſuſcipit.* Plura de his cognitoribus, & oratoribus congeſſit Gothofredus *in leg. fin. Cod. Theodoſ. de cognitoribus.*

8 Procuratoris diffinitio. His ſuppoſitis de procuratorum origine, ſuccedit diffinitio, quæ ita communiter concipitur: *Procurator eſt, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat.* Colligitur ex *lege 1. in principio, leg. 3. l. filii 8. l. ſi quis 31. §. unius, leg. qui proprio 47. in principio, l. Paulus 69. ff. hoc tit. l. recte 36. ff. de judiciis.* Explicant Treutlerus *l. 1. ſelect. theſ. diſp. 9.* ubi Bachovius, Vultejus *de judiciis l. 1. c. 7. n. 59.* Duarenus *ad titulum de procurat. c. 2.* Ex illis verbis, *aliena negotia*, deducitur eum vere procuratorem dici, qui aliena negotia curat, non vero ſua, *l. ſi diligenti 5. §. ult. ff. mandati*, & ita procurator in re propria nemo exiſtit, *leg. licet 42. §. is qui, ff. de procur.* etſi ille, cui dominus actiones ſuas donavit, in ſolutum dedit, vel alio modo ceſſit, dicatur procurator in rem ſuam, quia ad utilitatem propriam actiones illas exercet, *l. omnia 25. §. plane, l. ſi actor 22. leg. Plautius 61. ff. hoc tit. leg. 4. leg. qui ſtipendia 9. Cod. eod. tit. c. 1. §. licet, hoc tit. in 6.* explicant Petrus Greg. *l. 3. partit. tit. 18. c. 7.* Duarenus *ad tit. de procuratoribus, c. 9.* Verba illa, *Mandato domini*, denotant diſcrimen, quod verſatur inter procuratorem, & tutorem, curatoremque, ac ſimiles, qui non mandato domini, ſed publica auctoritate judicis, vel legis aliena negotia curant, ut obſervant Duarenus *ad hunc tit. c. 7.* Oſualdus *ubi ſupra.* Hæc diffinitio convenit omnibus procuratoribus, etiam ad negotia extrajudicialia conſtitutis: quare procurator ad litem ita ſpecialiter definitur: *Ut ſit is, cui alienæ rei actio, vel defenſio præſentis, vel abſentis permiſſa eſt mandato domini, qui in judicio litis cauſam ſuſtinet.* Quam exponunt Vultejus *ubi ſupra*, Pichardus, & alii Inſtitutarii *in principio Inſtit. de his per quos agere.*

9 Mandatum neceſſarium eſt. Deinde ſciendum eſt, inter alias exceptiones, quæ communiter procuratoribus opponi ſolent, quas refert Bayo *in praxi, cap. 12.* primam, præcipuamque eſſe defectum mandati; ſi enim illud procurator non habeat, vel quod habet, inſufficiens ſit, non admittitur in judicio ad agendum, etſi caveat dominum ratum habiturum, *leg. Pomponius 40. §. ult. ff. hoc tit. leg 1. Cod. eod.* alias omnia geſta per talem procuratorem nullius momenti ſunt, *l. ſi procurator, C. eod. tit.* quare ne illuſorium reddatur judicium, judex etiam non opponente parte poteſt repellere procuratorem mandatum non habentem, *leg. 55. tit. 1. lib. 3. recopil. leg. 3. tit. 2. lib. 4. recopil.* Paz *in praxi, 1. part. annotat. 4. de procurat.* Et licet jure communi attento dubium eſſet inter juris Interpretes, utrum ſufficeret probare mandatum per teſtes, an vero neceſſario deſideraretur probatio per inſtrumentum ipſum, ut conſtat ex traditis a gloſſa in præſenti, *verbo Portitoribus*, Maſcardo *de prob. concl. 113. nu. 1.* & aliis congeſtis a Barb. *in præſenti, n. 30.* tamen hodie attento jure noſtro Regio certum eſt, deſiderari inſtrumentum mandati in publicam formam redactum, ut pluribus relatis probat Parexa *de inſtrum. edit. tit. 5. reſol. 10. n. 6.* nec ſufficit tabellionem fidem facere, ſe legiſſe mandatum ipſum, ut reſolvunt Paz *in d. leg. 16. ſtyli, ſcholio 1. n. 5.* Parexa *d. reſol. 10. §. 10.* & ſi omiſſa editione mandati procurator in judicio adfuerit, ab eo acta domino præjudicium non afferunt, *d. leg. ſi procurator, leg. 10. tit. 5. partita 3.* Paz *in praxi, d. annot. 4. n. 7.* nec ſufficit quodlibet mandatum edere, ſed deſideratur ſufficiens, & legitime confectum, ſervatis ſolemnitatibus præſcriptis *in l. 14. tit. 5. leg. 54. 97. 98. tit. 18. partita 3. leg. 13. & 45. verſic. Poderes, tit. 25. lib. 4. recopil.* ideſt, ut circa falſitatis ſuſpicionem legitime coram publico tabellione ſit confectum; & ut datum ſit ab eo, qui procuratorem conſtituere poteſt; ideſt, qui legitimam perſonam ſtandi in judicio habet; nam ſervi, & alii, qui in judicio ſtare nequeant, non poſſunt procuratorem conſtituere, *leg. nec tutores, §. pupillus, leg. non eo minus, Cod. de procurator. cap. finali, de judiciis in 6.* deinde ut procurator ejus ætatis, & qualitatis ſit, ut in judicio eſſe poſſit; & ut cauſa procuratorem admittat, ideſt ut per alium tractari poſſit: quæ, & alia requiſita latius proſequuntur Mancius *integro tract. de procur.* Oſualdus *lib. 18. Donelli, c. 12.* Parexa *d. reſ. 10. per totam.*

Quibus ita animadverſis apparet jam vera ratio præſentis aſſertionis; nam cum procurator, qui mandatum non habet, prorſus extranea perſona ſit, cum qua reus nullum negotium geſſit, inde nullam actionem habet, qua ipſum in judicio convenire poſſit, *l. ſi pupillis 3. §. ultim. ff. de negotiis geſtis*: quare deſideratur mandatum, ut ejus virtute ex perſona domini reum ad judicium trahere poſſit: quare in principio litis mandatum exhibendum eſt. Symmachus *l. 10. ep. 32.* ibi: *In ipſo limine quæſtionis, cum procuratio, quam C. F. ſenior Marciano mandaverat, invalida diceretur, defenſio partis adverſæ negavit ſtare perſonam, cujus procurationem ſuperioris geſta judicii non tenerent: contra non exactam prius recitationem aiebant.* Et quia mandatum eſt quid facti, & per conſequens non præſumitur, niſi probetur, *l. in bello 12. §. facti, ff. de captivis, l. quicumque, ff. de publiciana, c. ſi forte, de electione l. 6.* late probant Giurba *conſil. 91. n. 17.* Avendanno *de metu d. c. 26. n. 3.* ideo Gregorius in præſenti juxta legitimas ſanctiones, ut ipſe fatetur, decrevit non poſſe procuratorem Epiſcopi in judicio admitti abſque ejus mandato legitime confecto, & cum ſolemnitate ab utroque jure requiſita. 10 Traditur ratio decidendi.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam verum eſt, pro reo abſente defenſorem admitti ſine mandato, non vero pro actore, *leg. minorem 51. l. is cujus 64. l. Titius 76. ff. de procurat. leg. liberto 31. §. item, ff. de negotiis geſtis, leg. tutori, C. eodem tit. leg. nam poſtea 9. §. 6. l. jusjurandum 34. §. procurator, l. qui hominem 34. §. ſi gener, leg. ſi quis 58. ff. de ſolut.* Nam licet defenſor procuratori ſimilis ſit, *leg. Pomponius, §. 2. leg. Plautius 61. ff. hoc tit.* tamen hujus diſcriminis ratio redditur *in l. 1. ff. de negotiis geſtis*, videlicet quia magna pericula fortunis abſentium imminent, qui divinare non poterant, quando in judicio conveniendi erant: unde quilibet poteſt defenſionem abſentis ſuſcipere. Accedit, nam defenſor rei judicio conventi ſemper meliorem ejus conditionem reddit, non deteriorem; actoris vero conditionem non ſemper meliorem reddit procurator pro eo agendo, & quilibet poteſt alterius conditionem facere meliorem, non vero deteriorem, *l. ſolvendo 39. ff. de negotiis geſtis, l. ſolutione 23. ff. de ſolut.* Donellus *d. l. 28. cap. 12. in principio.* Quare non ita in defenſore, ac in procuratore deſideratur mandatum. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis; nam ſunt aliqui caſus, in quibus abſque mandato poteſt quis pro alio actionem in judicio proponere, ut cum Canonici pro juribus Eccleſiæ ſuæ agunt; poſſunt enim abſque mandato in judicio eo caſu comparere, *cap. coram 34. de officio delegati, l. 2. Cod. de conſortibus ejuſdem litis*: quo caſu accipiendus eſt textus *in cap. cum M. de conſtit.* Monachi in cauſis ſui Monaſterii, *c. 4. de confirmatione utili, cap. ſolitæ, de cenſibus*: conjunctæ perſonæ pro conjunctis, veluti liberi pro parentibus, fratres pro fratribus, maritus pro uxore, niſi aperte repugnet voluntas eorum, pro quibus agunt, *cap. nonnulli 28. §. ſunt, & alii, c. ex parte 33. de reſcriptis, cap. conſtitutis 8. de in integr. reſtitut. leg. ſi quis 3. §. ſed ſi forte, ff. judicatum ſolvi, leg. ſed & hæ 35. leg. Pomponius 40. §. fin. ff. hoc tit. leg. exigendi 12. l. ſi maritus, C. eodem tit. leg. 10. tit. 5. partit. 3.* dummodo de rato caveant, *leg. non ſolum 30. §. ſi de dote, ff. hoc tit.* docent Bronchorſt. *miſcellan. cent. 1. aſſert. 27.* Covar. *lib. 1. var. c. 6. n. 5.* Cancerius *l. 2. var. cap. 14. n. 137.* Oſuald. *d. c. 12. litt. H.* ſocius in cauſa communi ſocii, *cap. 1. de reſt. ſpol. cap. cum olim*, ubi gloſſa, *verbo Exceptione, de teſtib.* Nam conjunctæ hæ perſonæ tacitum creduntur habere mandatum ex conjunctione, & affectione perſonarum, quæ facit, ut nulli libentius credatur mandatum. Faber *in d. leg. ſed, & hæ 35. §. ult.* Donell. *d. cap. 12.* non tamen ſunt veri procuratores, *d. leg. ſi quis 3. §. 3.* Oſualdus *lib. 18. comment. cap. 14. litt. B.* alias non præſtarent cautionem ratihabitionis, & ſententia pro eis dicta non prodeſſet, nec contraria noceret domino litis, niſi ab ipſis geſtum ratum habeant, *l. nec filium 7. C. de rebus creditis*, Cancerius *ubi proxime, n. 256.* & ideo tamquam convicti in judicio adeſſe debent; nam ſi agant, ut procuratores, ſi non doceant de mandato, non ſuſtinetur proceſſus, ut docent plures relati a Barboſa *in cap. nonnulli, n. 17. de reſcriptis*; in cauſis vero, in quibus deſideratur ſpeciale mandatum, an conjunctus pro conjuncto audiatur, exponemus *in c. conſtitutus, de in integrum reſtitutione.* Nec obſtat ſecunda difficultas ſupra adducta, pro cujus ſolutione diſcrimen conſtituendum eſt inter actus, qui ſpectant ad officium, & dignitatem Epiſcopi, & inter eos, qui non pertinent ad Epiſcopalia munia: in primis fides adhibetur litteris Epiſcopi proprio ſigillo munitis, *d. cap. poſt ceſſionem*; ſecundo vero caſu deſideratur ſolemnitas a jure præſcripta, quo caſu procedit præſens textus, quem ita accipiunt Abbas, Decius, Ripa, & Maſcardus, quos refert, & ſequitur Angujanus *l. 1. de legibus, cap. 6. n. 51.* juxta quam diſtinctionem accipiendus eſt textus *in cap. ſignificavit 48. de appell.* ubi conſtitutio actoris ſigillo Capituli ſignata, cum Capitulum eo ſigillo tantum ad citationes uteretur, non ſufficit, ut authenticum reddatur inſtrumentum conſtitutionis procuratoris; quia licet eo ſigillo ſignata inſtrumenta authentica cenſerentur quoad alios actus, videlicet citationes; non tamen authentica credebantur ad mandatum actoris legitime conficiendum. Sed apud repeten- 11 Diſſolvitur dubitandi,